Expresse nos prefatus dux Henricus nostro nullum heredem superstitem habentes heredum et successorum nostrorum futurorum nomine renunciantes in hiis scriptis omni beneficio in integrum restitutionis, interdicti unde vi, interdicti uti possidetis, de dolo actionis et beneficio cujuscunque juris, quo quis resignationem, donationem, dationem per se factam retractari poterit postulare. Testes autem, coram quibus tractatus hujusmodi sunt habiti vel ordinati, venerabilis in christo pater, dominus Witko Misnensis episcopus, illustris princeps dominus Nycolaus dux Opparie, nec non nobiles viri domini Petrus de Rosenberch, Wilhelmus de Lantstein, Hinko dictus Berka de Duba, Timo de Coltitz, Fridericus Hermannus, Fitzko fratres de Schomburch, Benessius de Michilsperch, Ulricus de Mendico, Fridmannus de Syman, Otto dictus Heyden de Dongn, Albertus de Lypnik, Stephanus de Parkwitz, Syfridus de Bareuth, Luthericus de Schribersdorf et Cristanus de Gerhartsdorf. In cujus rei testomonium presentes literas fieri et sigillo nostro majori jussimus communiri. Datum in castris prope Olsnitz decimo kalendas Octobris anno MCCCXIX.

Rücksiegel S. Henrici di gra ducis Sle doi de Fursten' et Jawor.

Cat. D.